



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicorvm Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt LXXVII. Vilecense Collegivm Canonissarum, & Canonicorum in d.  
Colontensi, & territorio Iuliacensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

*liberum lacum, vel plumarum lacum vocant, non procul à Biberaco vrbe imperiali in Suevis situm( ad quod assumi solent tantùm Comitis& Baronissæ, quæ ibi sub Abbatissa pudicè & probè educari, ad pietatem & virtutem informari solent) id inquam amplissimum ac pulcherrimum collegium fundatum legitur in honorem Sanctorum Cornelij & Cypriani, ab Adelinde Hildebrandi potentissimi Sueuorum Ducis filia, Hildegardis Reginæ & Campidonensis Fundatricis sorore, Comitis verò Othonis à Kesselbug in Blächina valle, circa Biberacum habitantis relicta vidua, quæ ibi sepulta est.*

## C A P V T LXXVII.

VILECENSE COLLEGIVM CANONISSARUM, & Canonicorum in d. Coloniensi,  
& territorio Iuliacensi.

**S**ALEIDIS Virgo & Abbatissa Vilecen-sis patrem habuit Megengoren sive Mengosum Geldriæ Comitem, matrem verò Ger-birgam non minùs generis nobilitate & virtu-tum studio insignem. Quibus vnica fuit mas-cula proles & quatuor filiæ; quarum duæ iun-ctæ sunt viris præpotentibus; reliquæ verò duæ apud Coloniam Agrippinam Christi ser-uitio sunt mancipatæ; vna in monasterio Be-atissimæ matris Dei; altera, de qua nobis est sermo, in cœnobio sanctorum Virginum, sub

I 3 regula-

regulari institutione S. Hieronymi. Parentes autem cùm in Vileka monasterij puellarum structuram consummassent, quā Othoni III. tradiderūt, vt perpetuò regia tutela defendetur, ad eius regimen *Adelheidem* filiam suam Colonia euocarunt, quæ initio liberiorē regularem institutionem seruauit; postea autem mortua matre, regulam S. Benedicti amplexa est, & iuxta illam se sui conuentus matrem re ipsa declarauit, primūm quērens regnum Dei, deinde ad exteriora se conferens. Ex ipsis etiam monasterij possessionibus cortem vnam Domino pro pauperibus delegauit; atque in acerba totius penè orbis fame hōmines egentes vndique ad eam tamquam ad matrem cōfluebant. Interim soror eius *Berthada*, monasterio Coloniæ præfcta, in Domino obdormit, voluitque Beatus Heribertus Archiepiscopus *Adelheidem* defunctæ sorori in regimine succedere: vbi innotuit quid priùs illa operata esset in obscuro Iuliacēsum tugurio Archiepiscopo testante eam cunctis sui ordinis sapientia, religione, & sanctitate esse incōparabile. Etsi autē Coloniēsi monasterio postea præfuerit, attamē vtriq; & Coloniēsi & Vilecensi inuigilabat strenuè. Nec defuit illi miraculorum gloria in morbis curandis. Post obitum verò scribit Berthradā nullo non genere miraculorum, dempta mortuorum excitatione, eam ornatam fuisse à præpotēte Deo.

Appro-

Appropinquante autem obitus die, in festo S. Blasij, gutturis dolore correpta est: itaq; corporis & sanguinis dominici sacramento munita, paradisi gaudia, ad quæ viuens suspirat, felicissimè petijt. Vilecenses autem Archiepiscopum rogarunt licentiam corpus sanctum asportandi, eumque tandem precibus vicerunt. Postquam autem sacrum corpus in naui repositum fuit, necdum dispositis remis cōtra fluminis impetum nauis velociter sursū tendebat, ut etiam à Coloniësibus diuina voluntas agnosceretur.

## CAPUT LXXVIII.

## COLLEGIA VARIA DIOECESIS

*Leodiensis.*

**H**ERMANNVS frater Comitis Loffensis in castro siue opido Loffensi collegiū septē Canonicorum instituit circa an. 1070.

Adalardus Abbas Trudonensis collegiū Canonicorum B. Mariæ Trudonense excitauit circa an. Christi 1080.

Visitense Canonicorum Collegium olim in pago Celle, non procul à Dionanto sedem habuit: qui oppressionem, quam à Domino Cellensi tunc patiebantur, inde Visetum (quod est opidum Mosæ adsitum, secundo lapide à Leodio) anno 1337. cum corpore Sancti Handelini patroni sui, migrarunt; Adulpho Marcano Leodiensi Episcopo approbante.